



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Catalogus Episcoporum Hildesiensium**

**Letzner, Johannes**

**Hildesheim, [ca. 1690]**

XLVIII. Otto

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64252)

profectus est: inde autem discessurus, cum ipsa Pentecostes solenni die equum conscenderet, apoplexiâ tactus, editis pœnitentis animi signis, morte repentinâ decessit: ibidem in Ecclesia tergemina S. Simeonis terræ mandatus.

**XLVIII. OTTO** Comes Schowenburgicus, antè Ecclesiæ Hildesienfis Præpositus nominatus, cum esset Wilhelmi Nassoviæ Comitis ex Sorore nepos, Wilhelmus summâ, quâ apud Cæsarem pollebat, gratiâ, omniq; studio allaboravit, ut Hildesienfis Infula nepoti cederet. Quare à Cathedrali Capitulo, in afflictissimo Diœceseos statu, omnia rursus meliora sperante, conjunctis suffragiis electus est. Verum recens Electus juvenili adhuc agitatus calore, vitæq; licentioris amore captus, confirmationem Pontificis, cum toto sexennio petere negligeret, Sanctitas sua pro nova electione semestri præscripsit, quo si electio non procederet, vi ad se devoluti juris Antistitem se substituturum comm inatus est. Proinde Otto aut ordines suscipiendos, aut Episcopatum sibi deferendum advertens, liberam Capitulo electionem permisit, & connubii impulsus amore, Præposituram Fratri suo Adolpho, postmodum Coloniensi Archiepiscopo, transcripsit.

**XLIX. VALENTINUS** A Teteleben Prænobili stemmate in Misnia oriundus Moguntinæ, Magdeburgensis, & Hildesienfis Ecclesiæ Canonicus, Francofurtensis Præpositus, & Archiepiscopi Moguntini in Spiritualibus Vicarius, Doctorali laurea, prudentiâ, circumspetione, castissimæ, integerrimæq; vitæ laude conspicuus, atq; ob rara naturæ,  
gra-